

funt, sed eadem, cum non minus ex mandato quam factio pœna capi-
talis sequatur. Sic David vir Mortis nuncupatur, & necis Uriæ
Causa Moralis est, licet enim ipse eum non trucidarat, per ejus
tamen iussa, mortis falce interemptus est Urias, quippe qui in
principio prælii acerrimi locabatur, derelictus omni subsidio eo
quod à tergo recedebant, ut eò citius percutiatur. Hinc optimè
dicit Don. Isaac Abravanel de Occis. Uriæ. Tribuitur Davidi fa-
ctum necis, sive ille ipse met nullo interveniente alio commiserit, sive
saltim ut id fieret præceperit. Tunc enim id fecit per alium. Re-
ferri huc quoque solet Ratihabitio factum insequens & con-
firmans, veluti cum quis antea factum facinus ratum habet, atque
id ut acceptum & approbatum pronunciat. (β) Consulendo,
quando suggeritur modus rem conficiendi, aut via monstratur,
quomodo factum peragi & effectus produci potest, nec non me-
dia & auxilia subministrantur. Consilium autem ab eo præpri-
mis provenit, qui persuadet ac impellit, ac ad faciendum instruit.
Auxilium fertur ab eo, qui adjutorium atque ministerium ad res
fusciendas præbet. Et Consilium est vel absque auxilio, vel
cum auxilio Coniunctum. Utrumque verò spectari potest, vel
ante, vel intra, vel post effectum. Sic Haman blanditiis suis per-
vasit Ahasvero, ut per publicum decretum omnes Judæos ex sua
ditione ac territorio prosciberet. Sic Achitophel Absoloni de-
dit Consilium, ad violandas genitoris sui concubinas. Sic Thais,
uti Curtius refert l. 5. p. 131. Alejandro M. persvasit, quod maxi-
mam apud omnes Græcos initurus esset gratiam, si Regiam Per-
farum Persepolin incendi jussisset, quod fœdissimum facinus
quoque Thaidi adscribitur, dum Alexand. M. & ejus convivas ad
præcipiendum incendium stimulavit. (γ) Consentiendo & Lau-
dando, cum permisso ac venia conceditur, absque qua res confi-
ci haud potuisset, nec non cum factio tanquam strenuus agilis ac
versutus decantatur, cui omnia cœpta ex voto succedunt prospe-
rè. Ita Achab, Causa Moralis homicidii vocatur, quamvis enim
ad mortem Nabothi physice non concurreret, consensit tamen
uxori nec non permisit, ut literæ, quæ Nabothi interitum ac-
celerate debebant, suo obsignarentur annulo. Et æque suo con-
sensu peccavit, quam qui cœdem Nabothi causavit Physice. No-
tandum,